

www.e-rara.ch

**Inter ea. quae ex SS. canonum, conciliorum, signanter tridentini
praescripto pastoralis nostrae sollicitudinis exercitium expostulant**

...

Hautt, Henri Ignace Nicomède

[Friburgi Helvetiorum], [1746]

Bibliothèque cantonale et universitaire Fribourg

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-108679>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

JOSEPHUS HUBERTUS DE BOCCARD DEI ET S. SEDIS APOSTOLICÆ
GRATIA EPISCOPUS AC COMES LAUSANNENSIS, S. R. I. PRINCEPS &c. &c.

Dilectis Nobis in Christo Univerſo Clero, omnibus Chriſti Fidelibus Noſtræ Diœceſis Salutem in Domino.

Inter ea, quæ ex SS. Canonum, Conciliorum, ſignanter Tridentini præſcripto Paſtoralis Noſtræ ſollicitudinis exercitium expoſtulant, cum maximum habeat momentum, ut, quas fidei Noſtræ Paſtor Paſtorum concedidit oves, cognoscamus, ipſæ Nos cognoscant, atque etiam hunc in finem eaſdem ſedulò viſitemus, hiſce notum facimus, quòd, uti primam Noſtram ac proinde generalem Viſitationem Diœceſis Noſtræ Decrevimus, debito Noſtro, auxiliante Deo, ſatiſfacturi, omnes & ſingulas Parochias perſonaliter ſimus perluftraturi.

Quare omnes Eccleſiarum Rectores, cæterosque utriusque ſexûs Diœceſanos Noſtros ſeriò requirimus, & adhortamur, ut mutuis precibus ferventer ad Deum fuſis adjuvare Nos ſatagant, quatenus opus hoc ad majorem Ejus gloriam, animarum ſalutem unicè inſtitutum, Ipſius gratiâ captum feliciter finiatur; Unde iisdem Rectoribus & Parochis præcipimus, ut ſingulis Dominicis & feſtivis diebus, ex quo præſentes receperint, ad expoſitionem Venerabilis Sacramenti Hymnos: *Veni Creator &c.* & *Pange Lingua &c.* cum orationibus: *Deus, qui corda fidelium &c.* & *Deus, qui nobis ſub Sacramento &c.* Simuladorante populo, auxilium de Sancto efflagitaturi, devotè decantent.

Ut autem omnia ritè, & ſecundùm ordinem fiant, mandamus omnibus Beneficiatis, quatenus libros ſuos, ac titulos, aliæque ſuorum beneficiorum documenta Nobis accuratè & fideliter offendant.

Volumus pariter, ut Parochi Nobis præſentibus die Viſitationis Noſtræ ſumpta ſibi materia ex Evangelio Dominicæ eandem Viſitationem præcedentis, aut ſubſequentis concionentur, ac juventutem catechizando fidei capitibus inſtituant.

Decani ſui diſtrictus Capellas & Oratoria tam privata, quàm publica, uti & domeſtica per ſe, vel alios idoneos Sacerdotes præviè viſitabunt, ut de omnibus in adventu Noſtro rationem reddere, hinc etiam quænam fors deſtrui, interdici debeant, quem in finem, an cum redditibus, & quibus, erectæ & erectæ fuerint, exponere ſpecificè queant, Noſque dignoſcere valeamus.

Omnes Eccleſiarum Rectores, Confraternitatum, & Fabricarum Directores, de earumdem foundationibus, aggregationibus, regulis, privilegiis, Miſſarum, piorum operum obligationibus ac earum curâ pariter rationem reddituri comparebunt, Miſſarum & Officiorum Divinorum negligentes, piarum foundationum retentores, occultatores, aut executionem detrectantes, prout juſtitia & pietas id omnino exigit, per illos, quorum intereſt denunciabuntur.

Quoniam in quavis Parochia Viſitationis Noſtræ tempore Sacramentum Confirmationis ſumus adminiſtraturi, curabunt omnino Parochi, ut confirmandi per Ipſos aut Ludimagiſtros probè ſuper debita ad recipiendum hoc Sacramentum diſpoſitione, ejusque effectibus inſtruantur, monebuntque Parochianos ſuos, qualiter affinitas ſpiritualis inde contrahatur. Intimabunt quoque de Mandato Noſtro, eos, qui nondum tertium ætatis annum attingerint, quique non fuerint ex ea Parochia, quam actu viſitabimus, nullatenus ad Confirmationem admittendos, ne fruſtra & repulſam paſſuri præſententur. Il autem, qui confirmari voluerint, ſecum habeant amiculum lineum candidum, quo pro Sacræ Unctionis reverentia frons obligetur & obtegatur.

Præcipimus inſuper in virtute S. Obedientiæ, ut omnes de hæreſi ſuſpectos, ſive librorum à Nobis, ſeu aliàs à jure prohibitorum lectores, detentores, fautores; Publica ſcandala, perſonas veneficas, de incantationibus, fortilegiis ſuſpectas, notas, ſi quæ (quod Deus avertat) tales revera exiſterent, illi, quibus innotescunt, nobis deferant, ut omnibus opportunum remedium afferre valeamus.

Quoad difficultates verò Parochos inter & Parochianos, ſi quas proponendas habeant, eaſdem in ſcriptis ſuccinctè ac diſtinctè debito ordine exhibebunt.

Circa ea, quæ Exemptos ſpectant, hiſce declaramus, quòd SS. Conciliorum Decreta ſumus ad omnium ſatiſfactionem pro officio Noſtro obſervaturi.

Omnibus omninò plurimùm commendamus, ut frugalitatem Eccleſiaſticam obſervando inanibus expenſis parcere ſtudeant.

Ubi Eccleſiæ, vel Capellæ aut Altaria ſunt conſecranda, vel etiam Campanæ benedicendæ, in quorum Sanctorum honorem Conſecratio, aut Benedictio fieri deſideratur hoc caſu, Parochi vel alii, quibus incumbere poſſet, Nos certiores reddere præviè & maturè curabunt, ut quæ ſunt in ſimilibus paranda, doceri valeant, Nos autem congruè Viſitationis Noſtræ curſum dirigere queamus.

Toto eo temporis intervallo, quo in quavis Parochia morabimur, ſi qui ſint, qui à Nobis ſecretiorem audientiam petere cupiant, vota ſua per ſe, aut alios pateſciant, ac proin eoſdem privatim audiemus; Unicè etenim intendimus, ut per auxilium gratiæ Dei Omnibus ac Singulis Epiſcopali Miniſterio Noſtro ſatiſſiat.

Quæ omnia, ut Parochi populo ſibi commiſſo è pulpito intra Miſſarum ſolemnia edicant, eumque de fructu ſpirituali Viſitationis maturè edoceant, tandem etiam injungimus. Datum Friburgi die 31. Martij 1747.

JOSEPHUS HUBERTUS EPISCOPUS LAUSANNENSIS.



Franz, Rud. Walliser, Secretarius.

1746, 4a

Vitis spinifolia.

皮仔

Authentiquement
 A Paris le 20 Nov. 1792
 1792